





107e

T. O. 590.



3

Fortunante CHRISTO!  
EXERCITATIONUM ETHICARUM  
ad Lib. II. Ethic. Nicom. Aristor.

SECUNDA

DE

VIRTUTE MO-  
RALI IN GE-  
NERE,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO CAH-  
LENO, M. & P. L. C. Gymnafii Hal-  
lenfis Rectore celeberrimo, Præceptore ac  
Hospite suo æviternum deve-  
nerando,

RESPONDENTE

TOBIA RUDOLPHO WALBURGERO,  
Gröbzigâ Anhaltino,

*Propofita*

IN GYMNASIO HALLENSE  
D. XXVIII. Novembr. A. O. R. CI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> C LV.

H. L. Q. S.

---

Prelo Salfeldiano.



*Natalium Splendore, Magnificentia,  
Eruditione, Auctoritate, Virtute & maximo  
rerum usu Nobilissimis ac Prestre-  
nuiis Viris,*

DOMINIS

JOSIÆ

&

GOTTSCHALCO

} à VELTHEIM,

Fratribus Germanis, Hæreditariis in  
Ostrau & Harpek, Dominis, Mecœnaribus,  
ac Patronis meis impensè  
colendis,

*Hoc exercitationis Ethicæ*

*μεθύμνασμα* in perpetuum obse-  
quium & gratæ mentis arrham

D. D. D.

*Subiectissimus*

Tobias Rudolphus Walburger,  
Gröbzigâ-Anhalt. R.





DEO PROPITIO-VOLENTE!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΔΥΤΙΚΗ,

AD

LIBR. II. ETHIC. NICOMACH.

**U**ltimo actionum humanarum fine,  
scil. summo Bono superiori Libro jam con-  
stituto, Aristoteles secutus naturam Disci-  
plinarum practicarum, methodo analyticâ pro-  
greditur ad media, illi consequendo inservientia,  
adeoq; absoluta ευδαιμονολογία nunc LIBRO II.  
incipit ἀρετολογίαν, sive Doctrinam DE VIR-  
TUTE explicare: Et quidem partim quoad na-  
turam ejusdem, partim quoad affectiones. Natu-  
ra patescit tum ex causis, tum ex speciebus.  
Cause sunt vel remotæ lib 2. vel propinquæ 1. 3.  
De illis agit Philosophus partim in genere, & vel  
per assertionem, quod virtus non insit nobis à na-  
turâ, cap. 1. vel per rationem, & quidem vel dire-  
ctè, quia, ut habitus, comparatur crebris actioni-  
bus, & quidem constantibus mediocritate, cap 2.  
vel obliquè, tum de signis presentis habitus vir-  
tuoosi,

A 2

tuoosi,



tuosi, quæ sunt voluptas & molestia, cap. 3. tum de actionibus ipsis habitum Virtutis præcedentibus & sequentibus, cap. 4. partim in specie, de Definitione Virtutis, quæ vel investigatur, tum quoad Genus, idq; vel negativè, quod non sit affectus, nec facultas naturalis, vel affirmativè, quod sit habitus, cap. 5. tum quoad Differentiam, eamq; genericam, quod sit habitus bonus, & specificam, quod sit in mediocritate positus, cap. 6. vel explicatur, partim per naturam singularum virtutum, quod in ipsis mediocritas hæc reperiatur: cap. 7. partim per accidentia, quæ considerantur vel respectivè, quod mediocritas cum extremis, & extrema secum invicem pugnent, cap. 8. vel absolutè, quod quia medium difficile sit invenire, regulæ quædam de ejus observatione sint inquirenda, cap. 9.

Hac generali Lib. II. ἀναλύσει præmissâ, nunc præcipuas singulorum capitum Theses iuxta ordinem Aristoteli servatum, Deo juvante, subjiciemus.

## CAPUT I. LIB II.

### THESIS I.

**V**irtutes sunt duplices, Intellectuales  
& morales. ἐν. 7. ε.



ἐκθεσις.

Ita dividit eas Aristotel. à subjecto five Principio : Duo enim sunt principia, à quibus omnis actio humana proficiscitur, *Intellectus & appetitus* : iccirco duplex ab Aristotele virtus assignatur, una *διανοητικὴ* *Intellectiva*, quæ intellectum, altera *ἠθικὴ*, ethica seu *moralis*, quæ appetitum perficit. 2. quia ad rectè agendum primum scitu opus est, quid & quomodo agere conveniat : & deindè, ubi scias, promptè exsequi. Notandum virtutes intellectuales, si comparentur cum moralibus, secundum quid tantum dici posse virtutes, quia dant solum modum & facultatem benè agendi, non autem bonum usum, uti loquitur *Thom. prim. secund. q. 57. art. 1. Horæius Disp. Eth. l. 3. c. 1. p. m. 268.*

## THESIS II.

**N**ulla virtus inest nobis à naturâ.

ἐκθεσις.

1. Quia hoc probat ipsa Etymologia. Dicitur enim virtus *ἠθικὴ*, ἁπλοῦς ἢ ἁπλοῦς, à consuetudine, & latinè moralis à more & consuetudine.
2. Quia cum naturalia mutari assuefactione



nequeant, v. g. lapis non potest non descendere, ignis verò ascendere per naturam, mores verò usu & assuetudine posse corrigi & mutari ipsa doceat experientia, sequitur, virtutē non inesse à naturâ. 3. Quia in naturalibus potentia sunt priores actionibus: uti visus est prior visione, &c. Virtus autem non nisi crebris actionibus comparatur; ubi actiones antecedunt habitum. 4. De Virtutibus & moribus leges & præcepta dantur, non item de naturalibus. E. virtutes non insunt à naturâ. 5. Denique quia virtutes consuetudine contrariorum actuum corrumpuntur. E. etiam consuetudine acquiruntur.

THESIS III.

**V**irtutes intellectuales magis doctrinâ comparantur; morales verò magis usu & assuetudine.

ἐκ δεξις.

Quia inibi intellectus si informatur, habitum acquirat: quamvis non omninò excludendus sit usus & exercitatio. In moralibus verò magis exercitatio, quàm informatio mores emendantur. Dicuntur enim Ethicæ

cæ



ca virtutes, *ἄνω τῶ ἐξ ἄνω* ab assuefactione, & morales à more seu consuetudine uti dicitur.

THESIS IV.

**V**irtus non est contra, sed secundum naturam.

*ἐν ἑστῆς.*

Invenit enim in naturâ aliqualem inclinationem, dum virtutis semina in animis hominum delitescunt erunt & animant: Unde Philosophus dicit. quod animus noster se habeat ad virtutem, ut materia ad formam. Unde sequitur in rectâ educatione & assuefactione plurimum momenti esse situm: quia quales exercemus operationes, tales etiam acquirimus habitus. Et juxta Poëtam:

*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem  
Testa diu.*

CAPUT II.

THESIS V.

**D**irina de modo acquirenda virtutis non est speculativa, sed practica.

*ἐν ἑστῆς.*

Quia finem intrinsecum habet operationem: Neq; enim sufficit scire, quid sit virtus;



sed ut per istam cognitionem boni & felices reddamur. 2. Unde actiones rectè statuuntur causæ efficientes virtutum.

THESIS VI.

**D**octrina de acquirendis virtutibus non est demonstrativa, sed Topica seu probabilis.

ἐνδεσσις.

Quia debet esse accommodata materiæ subjectæ. Hæc autem non est demonstrativa, sed probabilis. E. & quæ illam considerat, doctrina talis esse debet. Minor probatur: Quia actiones virtutum versantur circa singularia, quorum magna est varietas. 2. Quia ut in arte medicâ & nauticâ circumstantiæ sunt observandæ, licet generalia habeantur in illis præcepta: sic & in Ethica actionum noscenda varietas.

THESIS VII.

**A**ctiones quibus virtutes comparantur, debent constare mediocritate.

ἐνδεσσις.

Quia cum virtus per excessum & defectum destruat, sequitur, operationes virtutum effectri-



fectrices non debere excedere neque deficere: sed constare mediocritate. 2. Quia sicut bona corporis valetudo conservatur mediocritate victus, & moderato exercitio, nullo verò langvescit: Ita & actiones, quibus habitus virtutis comparantur, neque debent esse nullæ, neque nimix. Ratio est, quia sicut se habet bona valetudo ad corpus: ita se habet virtus, quæ est medicina animi, ad animum. 3. Quia denique actiones ex virtute profectæ sunt in mediocritate positæ, Ergò & illæ actiones, per quas virtutes acquiruntur, tales esse convenit.

#### THESIS VIII.

**A**ctiones habitum virtutis antecedentes & consequentes sunt similes.

ἐκ δεσπε.

Nam actiones in se spectatæ eandem ubique obtinent rationem: v.g. solvit aliquis debitum, antequam nactus fuerit habitum justitiæ: & alius solvat idem debitum, qui habeat jam justitiæ habitum: solutio certè debiti ab utroq; facta est ejusdem rationis. Ergò actiones quævis, quibus acquiruntur virtutes, sunt

A 5

ejus-



eiusdem rationis cum illis, quæ proficiuntur à virtutibus.

CAP. III.

THESIS IX.

**I**ndicia, quibus constare potest de habitu virtutis impetrato, aut non impetrato, sunt voluptas & molestia.

ἐκ θεσις.

Si enim ex actionibus voluptatem quis percipit, virtutis habitum adesse colligi potest; si molestiam, tantum arguit aliqualem dispositionem. Certè quædum nondum comparatus est habitus, ægrè & cum difficultate agimus, facillè autem & cum voluptate, acquiritur habitus. 2. Insuper voluptas & dolor sunt generalia objecta virtutum moralium, ex quibus non immeritò judicari potest de perfectione & bonitate habituum, uti sequenti thesi patebit.

THESIS X.

**V**oluptas & dolor sunt generalia objecta virtutum & vitiorum moralium.

ἐκ θε-



ἐκ θεοῦ.

1. Quia voluptate invitamur ad honesta, dolore ab honestis absterremur. Unde jubet Plato, ut pueri à primis statim annis assuefiant, quò latentur, doleantq̄ve quibus oportet. 2. Quia virtus & vitium versantur circa perturbationes & actiones: Nullus autem affectus est sine voluptate aut dolore. 3. Quia officium virtutis est corrigere vitia, & inquirere honesta, quorum alterum fit cum dolore, alterum cum voluptate. 4. Quia omnes animi habitus, quibus aliquis melior vel deterior redditur, in voluptate & dolore occupantur. 5. Dolor est in fugiendis, voluptas verò in appetendis. 6. Voluptas & dolor ad actiones vitæ dirigendas multum valent.

THESIS XI.

**V**oluptas expetitur ab hominibus præ cæteris rebus.

ἐκ θεοῦ.

1. Quia ejus appetitus per naturam hominibus est insitus. 2. quia omnibus rebus expetendis inest. 3. quia deniq̄ve à pueritiæ annis adhæret.

THE-



**N**on absurdum est, actiones virtuosas habitum virtutis & precedere & sequi.

ἐκ δεσπς.

Quamvis enim secundum Aristotel. iusta agendo aliquis iustus fiat, tamen non necesse est, ipsum prius esse iustum, antequam iuste possit agere. Siquidem non sunt eadem *iusta agere, & iuste agere*. Illud enim potest quocumque modo, etiam absque habitu iustitiæ, fieri: hoc autem non nisi ex iustitiæ habitu, ab eo qui iustus est. Sicut nec grammatica loquens, Grammaticus habendus, sed qui Grammaticè & ex artis habitu loquitur aut scribit.

#### CAPUT IV.

**V**irtutum & artium non est eadem ratio.

ἐκ δεσπς.

Quia in artibus solum æstimatur præstantia operis, absque consideratione probitatis aut improbitatis artificis: in virtutibus verò animus



mus agentis maximè attenditur, quo consilio, fine ac modo quid actum fuerit. Scilicet in artibus opus commendat artificem, in virtutibus animus & persona agentis commendat actionem.

THESES. XIV.

**N**otæ & conditiones actionis virtuosissime potissimum sunt quinque.

ἐκθεσις.

I. Si virtuosus egerit εἰδὼς sciens. 2. προαιεῖμεν, ex certo animi proposito. 3. δι' αὐτὰ, propter ipsam virtutem, & non aliam ob causam. 4. βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως, stabili atq; immobili affectu. 5. ἠδέως, cum voluptate.

Quæ notæ aut omnes aut singulæ si defuerint, agens viri boni cognomen apisci non poterit.

THESES. XV.

**N**on statim sunt virtuosissimi, qui multa de virtute differunt.

ἐκθεσις.

Quia ut ægrotus non statim sanitatem consequitur, qui differit de sanitate. nec miles vincit hostem, qui verbis jactat fortitudinem:

ita



ita neque virtus comparatur disputando, sed exercendo.

## CAPUT V.

THES. XVI.

**V**irtutis evolventa definitio tum nominalis, tum realis.

ἐκ θεοῦ.

Quoad illam, (cum nominum magna sit habenda cura monente Scalig. Exerc. 1. sect. 1.) Virtus non à vi, quæ in virtute nulla deprehenditur, sed à Viro nomen sortita est, teste Cicero 1. Tusc. Quæst. five ætatem æstimes, five sexum: Competit enim viris, non pueris: frequentior etiam & conspectior in masculino, quàm in foeminino sexu occurrit. Laertius 1. de Opif. Dei, cap. 12. Vir dicitur, eò quod major vis in eo, quàm in foeminâ, & hinc virtus nomen accepit. Græcis dicitur ἀρετή, per μετῴθεσιν quasi ἐφαρτὴ δὲ τῆ ἐφαῖν, quæ a amabilis est, & amore digna: Vel quasi ἀρετή, quod ab omnibus fit eligenda, aut quòd agere ex electione doceat. Alii derivant ab ἀρέσκειν, à placendo, quia virtus omnibus placere debet: alii ab ἀρεῖν, à congruendo, quòd con-



congruat cum rectâ ratione: alii ab ἀΐεσι, ab  
attollēdo, quòd animum sublimet, & quasi in  
coelum attollat, alii δὲ τὸ τῆ ἀρεῶς, à Marte, quod  
eâ maximè opus sit in bello, aut ibi maximè  
clarecat. Germani vocant Tugend/ vom Tü-  
gen oder Taugen/ quia valet, & utilis est in o-  
mnibus actionibus & vitæ statibus.

THESES. XVII.

**V**irtutis multiplex occurrit acceptio.

ἐκ θεσις.

Omnes acceptiones quòd minus hîc recen-  
teamus, instituti nostri ratio non fert, & pos-  
sunt videri apud *B. Meisn. dissert. de S. B p 353.*  
& seq. Tantum h. l. paucas adposuisse Discen-  
tium causâ suffecerit. 1. Igitur si amitur *Theo-*  
*logicè*, pro virtute *supernaturali* seu spirituali,  
quæ Christianis propria. 2. *Physicè*, pro virtu-  
te *naturali*, quæ rem quamvis benè afficiam,  
& rectè ac perfectè se habentem notat. Quòd  
referri possunt facultates animæ vegetativæ,  
v. g. nutriendi, concoqvendi, expellendi, &c.  
Et sensitivæ, videndi, audiendi, &c. It. Ifaculta-  
tes plantarum, gemmarum, &c. quæ etiam vir-  
tutes dici consueverunt. 3. *Ethicè*, pro virtute  
tum



tum *intellectuali*, quæ mentem in cognitione veri dirigit ac perficit: tum *morali*, quæ appetitum sensuum rectè informat & disponit, rectæ rationis dictamini ut pareat. Quæ ultima acceptio nobis hîc est propria. Vid. *Donalds, Synops. Eth. Lib. 2. cap. 1. p. 52.*

## CAPUT VI.

### THES. XVIII.

**I**N Definitione reali Virtutis investigandum est tum Genus, tum Differentia. Illud partim per remotionem: Virtus non est Affectus.

*ἐκ θεοῦ.*

Virtutem in animo esse cùm constet, erit vel *affectus*, vel naturalis *potentia*, vel deniq̄ve *habitus*, ratio est: quia hæc tria tantum in animo reperiuntur, tanquam actionum humanarum principia. Affectum non esse, probat Philosophus cap. 5. 1. quia propter affectus nec boni nec mali dicimur simpliciter. At verò propter virtutes boni, propter vitia mali dicimur. E. Virtus non est affectus. 2. quia propter affectus neq̄ve laudamur neq̄ve vituperamur; quod



quod fit propter virtutes & vitia. 3. Affectus sunt  
 ἐν ἐπιπροσπέσει, h. e. suscipiuntur sine consilio  
 & proposito; sed virtutes sunt ex electione.  
 Huc accedit, 4. quod affectus inveniunt nobis per  
 naturam, virtutes verò exercitatione acquisi-  
 ti. 5. Affectus sunt motus repentini, virtutes  
 verò constantes habitus. 6. Affectus sunt in  
 tertiâ specie qualitatis, virtutes verò in primâ.

THESES. XIX.

**V**irtus non est potentia naturalis.

ἐν θεοῖς.

Idque propter easdem ferme rationes, thesi  
 præced. adductas. Relinquitur igitur

THESES. XX.

**P**er positionem: Virtus est habitus.

ἐν θεοῖς.

Hujus thesios veritas patet jam ex superio-  
 ribus. Si enim virtus 1. non inest à naturâ, uti  
 supra probatum fuit, sed crebris actibus acqui-  
 ritur: 2. non est substantia, sed accidens, nec in  
 ullo Accidentium genere, nisi in Qualitate, &  
 inter species ejusdem ad nullam, præter pri-  
 mam, potest revocari, uti liquet, spontè con-  
 sequitur, illam esse Habitum, ad quem conse-

B

quæ-



quendum requisitis illis communibus opus  
 sit, qualia sunt 1. φύσις, natura bonitas. 2. μάθη-  
 σις, institutionis dexteritas: & 3. ἀσκησις, exer-  
 citationis assiduitas.

## CAPUT VI.

THES. XXI.

**D**ifferentia Virtutis est vel generi-  
 ca, vel specifica. illa: quòd sit Ha-  
 bitus bonus.

ἐκ θεοῦ.

1. Quia facit hominem bonum & perfe-  
 ctum, ut munere suo rectè fungatur. Est igitur  
 viri boni habitus, cuius animum & actiones  
 perficit. 1. quia ut Virtus dicitur oculi perfe-  
 ctio, per quam benè se habet in actu & exerci-  
 tio videndi: Ita etiam virtus dicenda est bona  
 qualitas mentis, & perfecta eius operatio.

THES. XXII.

**H**æc: quòd sit in mediocritate actio-  
 num positus.

ἐκ θεοῦ.

Hæc differentia distinguit Virtutem ab extre-  
 mis suis, sive gemino vitioso habitu. In nullo  
 enim vitio est mediocritas, sed vel excessus,  
 vel



vel defectus à mediocritate. Probat verò Aristoteles hanc Differentiam virtutis, 1. quia ubicunqve est æquale, ibi etiam est medium: æquale siquidem in quantitate continuâ nihil aliud est, quàm inter duo extrema medium: Jam verò in actionibus est æquale, quod est medium inter plus & minus. E. & virtus sive actio virtuosa erit in mediocritate posita. 2. quia medium est optimum: hinc Poëta: *Medium tenuere beati.*

THESES. XXIII.

**V**irtus non est mediocritas rei, sed persona.

ἐκ θεοῦ.

*Duplex est medium: vel Rei, seu Arithmeti- cum, quod æquæ distat ab utroqve extremo, uti centrum in circulo, aut novenarius inter 6. & 12. superat enim senarium ternario, & superatur à duodenario per ternariū. Tale medium semper idem manet apud omnes sine variatione. Vel Persona seu Geometricum, medium rationis dictum, (Aristotel. vocat μέσον πρὸς ἡμᾶς, medium quoad nos;) quod nec transit modum in excessu, nec deserit eum in defectu;*

B 2

quod-



quodque non unum idemque; est apud omnes, sed accuratam rationem habet personarum, circumstantiarum, temporis, loci, &c. Et tale medium est in virtute. 1. Quia ut Medicus pro ratione virium præscribit medicamenta: ita & virtus eligit medium personæ, quod sibi & suæ conditioni est accommodatum seu conveniens. 2. quia ut artes in mediocritate consistunt, ita multò magis virtus ad S. Bonum nos deducens. 3. Quia in perturbationibus & actionibus extrema sunt fugienda, ut mediocritas obtineatur. 4. Quia virtus versatur circa difficilimum: tale verò est medium: cum econtra ad extrema, quæ vitia sunt, facilè sit descendere. Ex quibus colligitur iam plenaria *Virtutis Definitio*:

## THESES. XXIV.

**V**irtus (moralis) est habitus electivus in mediocritate consistens, ratione, quæ quoad nos, definita, prout quidem vir prudens eam definiaverit.

ἔκθεσις.

Græcè sic habet: Ἀρετή ἐστὶν ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι ἕσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὠρισμένη λόγῳ, καὶ ὡς αὖν



ως αν ο θεονικος οβλοειε, *Lib. 2. cap. 6. ab in.*  
 Circa quam definitionem (præter partes jam  
 supra explicatas) illud, quod differentia generica  
 loco ab Aristotele ponitur attendendum  
 venit: *quare dicatur Habitus electivus*: Nempe  
 ut *distinguat* à virtutibus intellectualibus,  
 quæ non dicuntur habitus Electivi, cum non  
 resideant in appetitu, sed in intellectu: cui non  
 tribuitur *ωεγαίρεσις*, voluntas, aut appetitus.  
 2. quia cum electione h. e. certo animi pro-  
 posito & consilio agere docet. 3. Ut excludan-  
 tur quoque per hanc voculam *actiones fortuitæ,*  
*naturales & coactæ.*

Porro restringitur illa mediocritas & de-  
 terminatur *rectè à ratione viri prudentis*, quia il-  
 lud solum in actionibus probandum est, quod  
 ratio viri prudenter judicantis pro singularum  
 circumstantiarum modulo jubet ac fradet.  
 Recta igitur ratio mediocritatis regula est.

CAPUT VII.

THES. XXV.

**V**irtus est mediocritas, est etiam  
 extremitas, sed diversimodè con-  
 siderata.

B 3

εχθρ.

nes,  
 m,  
 tale  
 pro  
 ita  
 i &  
 on-  
 on-  
 um  
 s &  
 io-  
 cir-  
 um  
 e fit  
 na-  
 Fi-  
 ra-  
 vi-  
 un-  
 na-  
 c au





*Mediocritas* est respectu *extremorum*; Est enim inter excessum & defectum: *Extremitas* verò respectu *perfectioris*: ita à Pythagoricis dicebatur, teste *Plutarcho lib. de Virtut. moral.*

1. quia hominem ejusque actiones perficit.
2. quia inter bona humana supremum locum obtinet.

In se igitur & *ratione essentia* suæ est *mediocritas*; respectu *qualitatis* verò est *extremitas*. Sic *Virtus* est *medium* respectu *extremorum*, & est quoque *in medio*, prout respicit objecta. Vid. *Casus Specul. Moral. Quest. l. 2. p. 113.*

## THES. XXVI.

**N**on omnes actiones & affectus sunt capaces mediocritatis.

1. Quia quædam actiones sunt per se & suâ naturâ bonæ & laudabiles, etiam sine mediocritate; ut amor erga DEUM, Patriam, Parentes, Præceptores, Conjuges &c. Timere DEUM, veritatem dicere, honestè vivere &c. Quædam verò in se & suâ naturâ sunt mala & vitiosa, quæ non admittunt mediocritatem, ut invidia, immisericordia, odium boni; sic pejerare, fura-



furari, scortari, decipere, injuriam inferre, &c.  
*Quaedam* verò sunt *indifferentes & intermedia*,  
 quæ cum mediocritate bonæ sunt sine illâ ve-  
 rò malæ ut: Voluptas, dolor, amor gaudium,  
 metus ira: In actionibus, edere, bibere, dor-  
 mire, dare, accipere, honores, opes expetere  
 &c. Et circa ejusmodi actiones & affectus vir-  
 tus moralis versatur.

### CAPUT VIII.

THES. XXVII.

**M**ediocritas extremis opponitur se-  
 cundum excessum.

ἐνδεσις.

Extrema medio non æqualiter opponun-  
 tur, sed unum magis, alterum minus virtuti,  
 tanquam medio, adversatur. *Superatur ab ex-*  
*cessu, & superat quoque defectum.* Sic vicissim  
 jam defectus magis contrariatur medio, jam  
 excessus. v. g. Fortitudini magis adversatur ti-  
 miditas, in defectu, quàm audacia, quæ in ex-  
 cessu: sic avaritia magis repugnat liberalitati,  
 quàm prodigalitas: Mansuetudini verò ma-  
 gis adversatur iracundia, in excessu, quàm le-  
 nitas, quæ in defectu peccat. Quia uti se habet

B 4

æqua-



æquale ad sua extrema, ita se habet & virtus. Æquale verò superatur à maiore, & superat minus: igitur & virtus, quæ ab extremis suis, scil. ὑπερβολῆ καὶ ἐλλείψεως, non semper æqualem habet distantiam.

THES. XXVIII.

**E**xtremorum sive vitiorum major inter se contrarietas est, quàm mediæ cum extremis, sive virtutis cum vitiis.

ἐκθεσις.

1. Quia longius à se invicem distant, quàm à medio. 2. quia major est inter extrema dissimilitudo, quàm inter medium & extrema. Nam audax magis opponitur timido, quàm forti: Et prodigus longius distat ab avaro, quàm liberalis. Notandum hîc venit, quod *Virtus vitiis opponatur dupliciter. Vel absolute*, quatenus virtus res per se bona, vitium verò inter mala numeratur: & sic medium & extrema magis distant, quàm extrema inter se: *Vel comparative*, conferendo similitudinem vel dissimilitudinem utriusq; inter se: & sic medio magis convenit cum extremis, quàm extremis inter se, & propterea major etiam pugna est



est extremorum, quàm horum cum medio.  
Uti in exemplis modo adductis patet.

CAPUT IX.

THES. XXIX.

**M**edium invenire difficile est in  
actione aut arte qualibet.

ἐκθεσις.

Quia medium in qualibet re est tantummodo unum, extrema verò multa & varia. 2. quia ut difficilius est, scopum attingere, quàm à scopo aberrare: ita etiam difficilius est in actionibus servare mediocritatem, quàm ab eâ deflectere. v. g. Facile est, largiri aliis, sed quando, quibus & quantum, difficile est. 3. Accedit naturæ perversitas, voluptatum illecebræ, & affectuum intemperies, quibus homines sæpè præpediuntur, quò minus modum in agendo servare possint.

THES. XXX.

**M**ediocritatis servandæ tres dantur regulæ. Prima: Ab eo extremo seu vitio, quod magis adversatur medio, magis est recedendum.

B 5

ἐκθεσις



*EX D.* Quia in eo, quod magis aduersatur medio, etiam magis peccatur. Hinc Nymphea Calypso iubebat Ulysses magis deflectere navim à Charybdi, tanquam scopulo periculofiori, quam à Scyllâ. 2. Accedit, quòd etiam inter duo mala eligendum sit minus.

THESES. XXXI.

*Secunda: Illud vitium, ad quod proclivior aliquis est, magis est vitandum, & nitendum in contrarium.*

*EX D.* Quemadmodum enim illi, qui lignum distortum volunt rectum facere, id in partem contrariam torquere solent, & ita dirigere: Ita à contrario, si magis recedimus tandem in medio subsistimus. 3. Quia non naturæ, & appetitui, sed rectæ rationi est parendum. Cognosci verò ex voluptate & dolore potest facile, ad quæ vitia quis sit proclivior. Nam ex quibus vitiis maiorem perferunt voluptatem, ad ea etiam natura eius magis inclinat. Sed ita tamen nitendum est in contrarium, ne in in adversa vitia incidamus. Nam juxta *Horatium lib. 1. serm. 2.*

*Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

THE-



## THES. XXXII.

**T**ertia: In omnibus actionibus voluptas maximoperè est fugienda.

ἐκ θεοῦ.

Corrumpit enim naturam nostram, & homines bestiales efficit. 2. Quia extra uisum voluptatis minus peccatur & facilius mediocritas seruetur.

## THES. XXXIII.

**M**agna est difficultas exercenda mediocritatis quoad singulos actus.

ἐκ θεοῦ.

Sunt enim actiones hominum singulares, quæ potius sensu, quàm ratione sunt dignoscendæ & definiendæ, aut experientiâ potius, quàm præceptis dijudicandæ & tradendæ. 2. Et quia magna est constantia hominum in iudicando. Illa verò optima est virtutis comparandæ ratio, nec ad nimium, nec ad parum declinare, & appetitum rectæ rationis imperio semper subicere. Etenim recta ratio, lege divinâ & naturali fundata & directâ, est regula illa Lesbia, juxta quam Vir prudens medium invenire & dijudicare potest & debet.

TANTUM.

Sequitur.



## CONSECTARIA MISCELLANEA.

I. Virtus moralis nec brutis convenit,  
nec infantibus.

**I**llis quidem, quia non agunt ex deliberatione seu  
electione, cum iudicio vel certo fine aut consilio,  
nec legibus reguntur: licet forsitan aliquid virtutis  
ἀνάλογον in ipsis deprehendatur. His verò, quia  
licet semina quadam virtutum ipsis sint ingenita,  
tamen prudentiâ, experienciâ, & pleno rationis  
usu destituuntur, non competit Habitus virtutis.

II. Non datur medium in omni actio-  
ne & affectu.

*Siquidem actiones & affectus nonnulli sunt  
cum pravitate complicati, v. g. malevolentia, in-  
vidia, odium bonorum, injuste, ignavè, intempe-  
ranter &c. agere. Quæ enim per se vitia sunt,  
virtutes fieri non possunt.*

III. Affectus, licet in se neq; boni neq;  
mali sint moraliter, tamè ut subsunt  
imperio rationis, fieri tales possunt.

*Quia sic à ratione imperantur, cuius respe-  
ctu possunt habere rationem boni vel mali: & sic*  
quo-



quodque sunt proprii hominibus, qui bene vel male  
iisdem utuntur, adeoque secundum illos vel laudan-  
tur vel vituperantur.

IV. In nostrâ potestate situm est, virtu-  
tem colere, & vitia fugere.

Quoniam actiones humane & illarum prin-  
cipia sunt in nostrâ potestate. Hoc ipsum quoque le-  
ges & instituta publica, honestum imperantia,  
malum prohibentia, satis comprobant.

V. In hominem cadere omnes virtu-  
tes in hac vitâ possunt.

Intellige inchoativè non consummativè.  
Non enim vivitur cum perfectis, teste Cicerone  
l. i. Offic. sed in quibus praeclare agitur, si sint si-  
mulacra Virtutis. Vide Horn. in Ethic.

VI. Non ὀρθότης seu rectitudo, sed μεσότης  
sive mediocritas est forma virtutis.

Præius illud magni nominis quidam Philoso-  
phi censuerunt; sed posterius Aristoteli & omni-  
bus ferè ejusdem interpretibus, & meritò potius  
videtur. Nam illa differentia nimis generalis est,  
& sub alio etiam genere, quippè primariò compe-  
tit lineæ mathematicæ, quæ recta vel curva dici-  
tur, deinde etiam omni vero congruit. Quod enim

vetum



verum est, illud etiam est rectum. Quia veritas est congruentia, hæc autem nihil aliud est quam rectitudo. Deinde quia est transcendens, quod non debet poni in definitione.

### VII. In potestate hominis est moderari affectus

Etenim vana esset alioqui omnis institutio, legum præscriptio & premiorum promissio: imò aliàs non possemus virtutem colere & vitia fugere. Non negligenda tamen hæc remedia & adjuvamenta.

### VIII. Virtus moralis recipit magis & minus.

Est enim qualitas: Verùm hoc intelligendum est ratione subjecti & existentia prout videmus alios aliis ad actiones virtuosas promptiores, & in illis edendis frequentiores esse. Sed ratione essentia seu forme sue Virtus in se spectata, quatenus est medium, & quidem unum, excludens plus & minus, non recipit gradus.



### WALBURGERO MEO

ad recta tendenti studia felices progressus!

**C**eubenè vallatus civis munimine valli,  
Non metuit sævas, hoste furēte, minas:

Sic



Sic benè *vallatum* generoso pectus *honesto*,  
 Non metuit casus, fors malefida, tuos.  
 Stat mens incōcussa, licet furat Orbis & Orcus,  
 Quam *Virtus* munit, quā bona causa fover.  
 Hinc quia te curas *Virtutis* cingere vallo,  
 WALBURGER, cathedrā scandere cura fedet,  
 Approbo te *civem*: *Virtutis* quærere vallum  
 Pergito! post tua mens sit studiosa boni!  
 Gratia sic Jovæ, favor & promotio certa  
 Ceu vallo *civem* cinget, & omne bonum.  
*paterno adfectu precor & voveo*

PRÆSES.

Quem cingit virtus, *existet aranea* vallus,  
 Quem *Bellono* ferox non superare valet.  
 Cui non est virtus, citò vallus *aranaea* surget  
 Pervia, qua *fraudi Martis* ubiq; patet.  
 Quam *castellanus miser est*, virtutis egenus,  
 Undiq; vallatus *præda parata* neci!  
 Virtutum vallo *nil tutius esse* decoro  
 Hec *WALBURGERI* *memata docta* docent.  
 Pergat virtutis *valido* se cingere vallo,  
 Ut *castellanus fortior ipse* fuit.

SAMUEL ROSA, Margarim.  
Marchita.

Heu



**H**eu miseris quicquid misero blāditur in orbe  
 Illicò marcescens ut rosa verna cadit.

Nec quenquā usq; adeò placidis complectitur ulnis  
 Sors, ut non aliqua parte molesta premat.

Quilibet hinc discat Virtutem querere; Virtus  
 Ut vidrix effert nobile palma caput.

Hac facit & doctos totum volitare per orbem,  
 Hac perversa sua tempora lege regit.

Walburgerus adest testis, noctuq; dieq;  
 (Hac velut ausa probant) omnia saxa movens.

Is per Virtutem decus immortale mereri  
 Incipit, & Genii spargere dona sui.

Inq; bono sudat Virtutis currere cliuo  
 Virtutem fabricâ cudere mentis amat.

Macte animi juvenis! nulli succumbe labori,  
 Virtus cultori premia magna dabit.

Honoris & amoris ergò amico suo verè  
 Pyladzo ac commensali uti inte-  
 gerrimo ità dilectissimo f.

Christianus Woldreich,  
 Dithmarso-Holsat.

**F I N I S.**



65604

*Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.*

ULB Halle  
007 397 542

3



VD 17









3

Fortunante CHRISTO!

EXERCITATIONUM ETHICARUM  
ad Lib. II. Ethic. Nicom. Aristot.

SECUNDA  
DE

**VIRTUTE MO-  
RALI IN GE-  
NERE,**

PRÆSIDE

**N. FRIDERICO CAH-  
ENO, M. & P. L. C. Gymnasii Hal-  
lensis Rectore celeberrimo, Præceptore ac  
Hospite suo æviternum deve-  
nerando,**

RESPONDENTE

**OBIA RUDOLPHO WALBURGERO,  
Gröbzigâ Anhaltino,**

*Proposita*

**IN GYMNASIO HALLENSI**  
D. XXVIII. Novembr. A. O. R. C. I. S. I. S. C. LV.

H. L. Q. S.

Prelo Salfeldiano.

